

duces, aliosque proceres, qui Henrici partes sequebantur, nec non civitates, collegia, populos hortatur, a Navarræo recedant, alium in Gallia Regem, quam catholicum nolint; leniter cum iis agere voluisse, magna spe adductum, ejus expectationi ac desiderio cumulate responsuros; si secus faciant, invitum huic morbo acriora remedia adhibitum; pro paterna benignitate judicis severitatem sumpturum; demum Helvetiorum auxilia, una cum equitum haud parva manu, missurum spondet. Ex iis literis mirum in modum Rex ac Principes irati fremere; notam, quam sibi inuri cernebant, pati nolle. Mensis iulii initio duo edicta in Mantala civitate promulgantur: altero Henrici tertii pacis decretum ad regni dissidia componenda, turbasque sedandas (iis abolitis, quæ annis M. D. LXXXV. & M. D. LXXXVIII. pro foederatis faneita fuerant) confirmatur: altero Henrici constans animus, veteris religionis in Galliæ conservandæ jura libertatemque Gallicanæ ecclesiæ propugnandæ significatur. Ea edicta Cabillonum ad Parisiensem Senatum, quem Rex eo traduxerat, transmissa sunt. Ab eo regii procuratoris ab asserto (ut ajebant) Pontificis Internuntio, promulgatis diplomatis, provocatio admissa; statuta, qua jure factum tueretur, die. Internuntio in jus vocato, atque absente, Henrici Cajetani legati diplomata, Landriani literæ, uti Gallicanæ ecclesiæ libertati adversæ, nullius roboris aut momenti esse pronuntiantur, flammisque tradi in foro jubentur. Landrianum, qui se Pontificis Internuntium jactaret, clam in Galliam absque permisso Regis ingressum, comprehensum Cabillonum in regios carceres trudi, atque extra ordinem in eum, tridui constituto spatio, animadverti decretum: qui magistratui traderet, decem librarum millia propositum præmium; qui hospitio excepissent, vel favissent, poena capitis indicta: Archiepiscopis, Episcopis, atque aliis ecclesiasticis viris, ejusdem literas accipere, promulgare, poena perduellionis vetitum: qui Galli Romæ consilium dedissent, diplomati subscripissent, in Henricum tertium, Christianissimum & catholicum Regem, perpetratum parcidium comprobassent, sacras dignitates adimi: neu quis Romam, ob sacerdotiorum diplomata impetranda, argentum aurumve, donec Rex secus jussisset, ferret mitteretve, san-

*Henrici
decreta &
eorum pro-
mulgatio.*

*Gallorum
a pontifi-
ciis diplo-
matibus
provocatio.
Gallorum
editum
contra Lan-
drianum
Pontif. in-
ternuntium.*

ci-